

EIVSDEM ELEGIACVM AD LE
ctorem, in Astrologiae contemptorē.

Quod regat humanos diuina potentia casus,
Expressit summo magnus in orbe Deus.
Qua posuit tacitis dominantia legibus astra,
Et stellas uires iussit habere suas.
Ergo poli quoties pulcherrima lumina cernis,
Sis memor autoris, qui regit illa, Dei,
Fertur in errores amens Epicurus aniles,
Dum certa mundum lege carere putat.
Fingit in occasu deleri sidera, rursus
Axe sub Eoo luce nitere noua.
Ride Epicure Deum, gere nescia pectora fati,
Finge nihil cœli significare faces,
Ride Epicure, nigrum tamen hinc cum stabis ad Orcum,
Quod tua subjannet scommata numen erit.
Sæpe hæc imperijs nocuit dementia magnis,
Et nimium ueras astra habuere minas.
Irruit in patriæ tristissima damna Pericles,
Sidere non fausto bella cruenta mouens.
Nos artes, ceu dona Dei, reuerenter amemus,
Quæ stellas certis legibus ire docent.
Quæ causas rerumq; notant, seriemq; futuri,
Et quæcunq; suis motibus astra trahunt.
Non hæc humanis sunt cognita uiribus, Ipso
Sed monstrante Deo, sunt patefacta uiris,
Quos studium suprema trahens ad tempora, remotos
Effectus docuit, sanctaq; fatu poli.
Accessit multis nota experientia seclis,
Hæc arti fecit sideribusq; fidem
Fœlices animæ, sublimia pectora, uires
Ultra mortales exeruere caput.
Aedimus hæc igitur docti monumenta Schoneri,
Ne tantæ nobis eripiantur opes.
Hic antiquorum numero sauolumina uatum
Lustrans, hæc studijs censuit apta tuis.
Quare age si patrias animo cupis ire per arces,
Hoc lege præstantis nobile uatis opus.

Præfatio